In Dei nomine et eius gratia. Notum sit omnibus hominibus presentem paginam inspecturis. quod Ego Henricus Dei gratia Rex Toleti et Castelle. attendens utilitatem Toletane ciuitatis. et regni mei. et ut esset uia tuta que uadit de Toleto ad Miraculum. do et concedo Deo et ecclesie Toletane. et uobis domno Roderico Toletano archiepiscopo. Hyspaniarum primati. et successoribus uestris villarem de Polgar cum omnibus terminis suis. et aquis. cum ingressibus et egressibus suis. et cum montibus et pascuis. ut predictam aldeam libere et pacifice uos et ipsa ecclesia in perpetuum possideatis. Siquis uero hanc cartam infringere uel diminuere in aliquo presumpserit. iram Dei omnipotentis plenarie incurrat. et cum Iuda domini proditore penas sustineat infernales. et regie parti mille aureos in cauto persoluat. et dampnum uobis super hoc illatum restituat duplicatum. Facta carta apud Burgis. Era M. CC. LIII. VII. die nouembris. Et ego predictus Rex regnans in Toleto et Castella hanc cartam quam fieri iussi. manu propria roboro et confirmo.

Tellius	palentinus	episcopus	conf.
Rodericus	segontinus	episcopus	conf.
Melendus	oxomensis	episcopus	conf.
Iohannes	calagurritanus	episcopus	conf.
Mauricius	burgensis	electus	conf.

Comes [illegible]	Ferrandus	conf.
Rodericus	Didaci	conf.
Lupus	Didaci	conf.
Rodericus	Roderici	conf.
Petrus Ferrandi merinus regis in	Castella	conf.

Petrus ponencius domini regis notarius. Didaco Garsie existente Cancellario. Petro scriptori scribere iussit.

[illegible]